

scandalizati fuissent gentiles & ad judaizandum inducti, ex eo, quod vidissent, Paulum vel circumcidere Timotheum, hominem gentilem, vel ex voto tondere caput in Cenchreis, vel Hierosolymis sese cum cæteris Judæis purificare. Siquidem & Petrum propter Judæos ista fecisse Paulus ipse testetur. Verum respondetur (1.) Non excusare hic potest *bona animi intentio* sive, ut Bellarminus, loco supra citato loquitur, *bonus animus* in Petro, neque enim *facienda sunt mala, ut eveniant bona.* Rom. III. 8. Nec intentio sola actiones nostras justificat, nisi dirigatur verbo DEI. Recte Augustinus lib. de mendac. c. 7. *Interest eque plerimum qua causa, quo sine, qua intentione quid fiat, sed ea, quæ constat esse peccata, nullo bonæ causa obtentu, nullo quasi bono sine, nulla velut bona intentione facienda sunt.* (2.) Qua fronte Paulus hæc de Petro scriberet, & reprehensibilem fuisse & non recto pede ad Evangelii veritatem ambulasse, si in eo Petrus nullo modo peccasset. (3.) Est diversa ratio in exemplo. Facta Pauli nullam præbebant Gentilibus scandali occasionem. Timotheus enim ex matre Judæus erat, ideoque lege mortua quidem, sed nondum sepulta circumcidi poterat, quam rationem ipse Lucas, qui factum narrat, satis insinuat Actor. XVI. 1. 2. 3. Paulus autem more Nazæorum caput sibi tondens Actor. XVIII. 18. Judæus inter Judæos versabatur, hocque ædificationi maxime fuit opportunum, ut scilicet illis, qui sub Lege vivebant Zelo DEI fieret *ὑπὸ νόμον* 1. Cor. IX. 20. Quod vero purificavit se cum Judæis, cum Hierosolymis esset, idque Jacobo suggerente, manifestam ac necessariam habuit rationem; Docebat enim, circumcisionem reliquasque legis ceremonias non esse ad justificationem necessarias, sed liberæ observationis, & ob id traducebatur a calumniatoribus, quasi totam legem Moïsi abjiceret, vide Actor. XXI. 27, ut ergo has calumnias a se declinaret, necessariæ defensionis ergo fecit ea, quæ alioquin pro libertate Christiana intermittere potuisset, ne talis, qualis accusabatur, esse videretur. De Petro autem nusquam legitur, quod talis de ipso suspicio fuerit, ideo quod Paulus ex defensione necessaria, id Petrus ex metu fecit & hoc nomine graviter peccavit. (4.) Nil horum Paulum a conversatione Gentilium retraxit, aut Petrus in civitate, quæ Gentilium erat, non Judæorum, prius cum

R